



The Holy See

BENEDICTVS XVI

EPISTULA DATA

***CLAUDIO S.R.E. CARDINALI HUMMES, O.F.M.,
CONGREGATIONIS PRO CLERICIS PRAEFECTO***

Venerabili Fratri Nostro

CLAUDIO S.R.E. Cardinali HUMMES, O.F.M.

Congregationis pro Clericis Praefecto

Sollemne prorsus iucundumque est memoriam longinqui illius diei repetere et recordationem, tertii scilicet mensis Augusti, cum necessariis et Franciscali circum te familia versantibus, Divinopolitana in urbe presbyterali ordine es auctus perinde atque supernorum donorum dispensator constitutus. Diuturnum hoc ministerium, Venerabilis Frater Noster, magno Nobis universaeque Ecclesiae est argumento tibi vehementer gratulandi totum apostolicum curriculum, hisce quinquaginta annis in Ecclesiae beneficium salubriter destinatum luculenterque exactum.

Religiosa communitas olim te sustentavit appositaque doctrina erudivit, ipsaque exinde Aeterna Urbs in philosophica disciplina altius instituit. Iter ideo planius patuit ad pastoralem navitatem agendam, quam posthac in fideles colendos, iuvenes in Studiorum universitate instituendos, tui Ordinis sodales curandos contulisti, unde uberes fluxerunt fructus copiosaque spiritalia emolumenta.

Nihil igitur est quod mirandum sit te promptum Paulum VI, recolendae memoriae, alacremque repperisse, cum Carcabiensi titulo insignitum et Sancti Andree in Brasilia Ecclesiae te Coadiutorem renuntiaret, quae unum et viginti annos te sollerter nacta est Pastorem. Eodem animi studio posthac ad copiosam Sancti Pauli in Brasilia, venerati Decessoris Nostri Ioannis Pauli II de voluntate, accessisti, immensa pro illa multitudine, haud paucis difficultatibus affecta, apostolicam operam acturus, quam proinde in purpuratorum Patrum numerum cooptatus

studiosius gessisti.

In illis locis passim reperiuntur tuae sacerdotalis animi actuositatis documenta, quae cunctorum conciliarunt aestimationem. Sacerdotes, fideles, parvuli ipsi Franciscalem tuum animum invenerunt eundemque amabilem laetumque, ut Evangelii nuntius cunctis recta ratione, hodiernis adhibitis instrumentis, deferretur. Nec silere volumus de ea quae apud Congregationem pro clericis Praefectus necnon apud cetera Romanae Curiae Dicasteria agere soles, ex quibus emolumentum novimus salutare evenire catholicae universae familiae.

Nihil opus esse pluribus verbis arbitramur ut tibi comprobationem Nostram atque pergratum animum significemus, quem eudem potissimum confirmare cupimus cum incidet sacerdotalis tua haec honorifica commemoratio. Tibi itaque Nos Ipsi nominatim, Venerabilis Frater Noster, Apostolicam Benedictionem Nostram singulari com animi affectione addicimus, largiter universis qui necessitudinis vinculo tecum obstringuntur cumulateque adscribendam.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Iulii, anno MMVIII, Pontificatus Nostri quarto.

BENEDICTVS PP. XVI

© Copyright 2008 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana